



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 5. Baptismo leprosi curati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

bus Christum colere persuasit: & suilla forma atq; vita liberatos, institutum nostrum complecti coëgit, delubra eis construxit, sacra arcani & mystici sacrificij celebravit, & novis miraculis daemones ex ea regione exturbavit. Sunt qui Gregorium unà cum Teridate ad Imperatorem magnum Constantinum venisse tradant, eumq; tam miranda & inopinata audientem magnopere latatum esse, & Gregorium ipsum totius eius regionis episcopum ordinatum eò misisse. Æthiopem lauare posse aquam illam, quæ è porcis homines fecit, quis dubitet? Hoc nimirum est inter Mundum & Deum discrimen; Circe ex hominibus porcos, Christus è porcis homines fecit, hoc est, è porcis, humanos & homine dignos mores esse iussit. Quare & ipse Teritates tum demum verè esse homo cœpit, cum monstrum esse desijt.

§. V.

Baptismo leprosi curati.

Quoniam autem suprà leprosos quoque, inter monstra numerauimus, quibus nihil est immundius, dicendum nunc est, hoc etiam pacto multos fuisse monstrosos, vt Deus palam faceret, quanta sit baptismi vis ad animam mundandam, si potuit
à cor.

4. Reg. 5.

à corpore lepram abstergere. Nam quem-
admodum olim Naaman ad Iordanem mis-
sus & gentilismi errorem ex animo, & le-
præ foeditatem ex cute exterminavit; ita
multi postquam sacro se fonte tingi passi
sunt, etiam corpore esse luridi desierunt.

Sur. II.
Augusti.
Io. Melan
in Nata-
lib. SS.
Belgij.

Sic S. Gaugericus Episcopus Cameracensis
obuium peccatorem lepra punitum, vbi
meliora doctum ablegavit ad sacerdotem
baptismo imbuendum, duplici morbo cu-
rauit. Vnà enim & interioris, & exterioris
hominis squalor ablutus est. Sic Ar-
nulphus Metensis episcopus mendicum vi-
ctum & amictum petentē, cum lepra esset
coopertus, etiam sanitate donavit, quan-
do eum, sacra vnda, qua nondum erat lu-
stratus, perfudit. Quæ illustria sunt docu-
menta, morbos aliquando immitti, vt me-
dicus ametur, cuius tam salutaris est me-
dicina.

Sur. 16.
Augusti.

§. VI.

Constantinus Imp. baptismo à lepra liberatus.

Zonaras.
t. 3. Nice-
phor. l. 7.
hist. Eccl.
c. 33. Ba-
ron. An.
324.

Verùm nihil illustrius potest esse, quàm
quod de Constantino Magno fertur, eum
vtique non alia de causa foedo lepræ mor-
bo contaminatum, quàm vt à Christi me-
dicina, etiam animæ pharmacum accipe-
ret.